



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCII.

Parisiis, 1644

Concilivm Romanvm III. Svb Damaso, In quo Apollinaristarum haeresis
damnata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

Damasus
comminatur.

perpetuo retinendam esse. Atque de hac ipsa fide tum episcopus orientis, qui se de catholica ecclesia esse profiterentur, tum occidentis etiam episcopus nobiscum vna gloriari constat. Porro autem pro certo credimus, eos qui alia opinione tenentur irretiti, propter suum conatum breui fore & a nostra segregatos communionem, & nomine episcoporum priuatos, vt tandem populo errore ipsorum liberato, detur respirandi locus. Nam multitudinis error tamdiu nullo modo corrigi poterit, quamdiu episcopi eodem tenentur implicati. Quocirca facite, vt vestra reuerentia iudicium cum omnium Dei sacerdotum iudicio, cui vos firme & constanter adherere credimus, omnino consentiat. Quod si fiat, eandem vobiscum rectam credendi viam nos quoque debemus insistere. Vestra caritas quaeso ad nos rescribat, vt inde laetitiam capiamus. Valete fratres honoratissimi.

CONCILIVM ROMANVM III.

SVB DAMASO,

In quo Apollinaristarum haeresis damnata.

NOTÆ.

Causa &
locus Con-
cilii.

* *Concilium Romanum.*] Causa huius Romae celebrati Concilii hæc est. Vitalis, vt supra in notis ad epistolam primam diximus, in Christo carnem & mentem fuisse dolose confessus (per mentem enim diuinitatem Christi intelligebat) in communionem catholicam susceptus fuerat.

Acta Con-
cilii.

Sed cum fraus & dolus impostoris hæretici animaduersus fuisset, *Damasus* (ait Gregor. Nazianz. epist. 2. ad Hellen.) cum postea relictus edoctus fuisset, simulque in pristinis ipsos expositionibus perstare audisset, eos ab ecclesia cætu abdicauit, fidesque libellum (oblatum scilicet ante Romae) cum anathematismo deleuit. Ita igitur hoc Concilio cum ipsa hæresi hæresis auctor Apollinaris, Vitalis & Timotheus eiusdem discipuli ac sectarii merito condemnati. Qua de re hæc Sozom. lib. 6. cap. 25. *Hanc quidem Apollinaris hæresim apud multos serpere Damasus episcopus Romanus, & Petrus episcopus Alexandrinus, certiores facti, primi omnium Concilio Romae conuocato eandem alienam esse ab ecclesia catholica pronuntiarunt.* Apollinarem cum Timotheo eius discipulo hac Synodo condemnatum fuisse, Damasus episcopis orientalibus, per literas ad eos scriptas, & supra ex Theodoro.

ANNO CHRISTI 373. huc recens translata significauit. Anathematismi illi, quos hæc Synodus non tantum aduersus hæresim Apollinaris, sed etiam contra alias ingruentes hæreses Arii, Sabellii, Macedonii, Eunomii & Photini edidit, post notas hic subiunguntur.

Qui sacrosanctam Nicænam fidem violarant, siue viuentes ^{Anathematismi.} esent, siue defuncti, omnes hac eadem Synodo, teste Iustiniano imperatore in epistola ad Ioannem Romanum pontificem, excommunicati fuerunt. *Quidam, inquit, ex ipsis, qui in Nicæna sancta Synodo conuenerunt, & expositæ ab ea fidei definitioni, vel simbolo subscriperunt, quoniam postea contraria sapientes apparuerunt, alii quidem uiui, alii autem post mortem anathematizati sunt a Damaso sanctæ memorie papa antiquioris Romæ, &c.* ^{Millenarii.} Millenariorum antiqua hæresis per Apollinarem restaurata, in ipso ita condemnata fuit, vt posthac omnino conticuerit, nec amplius audita fuerit. Vide Baron. anno 373. num. 1. vsque ad 14.

^b *Sub Damaso.*] Hanc Synodum ante annum Domini 373. qui est ^{Tempus Concilii.} Damasi 7. Valentiniæ & Valentis 10. non fuisse celebratam, duæ ^{Ratio 1.} rationes euincunt. Vna, quod teste Sozomeno, huic Concilio interfuerit Petrus Alexandrinus, Athanasii anno 372. defuncti successor, qui ex persecutione Arianorum post Lucii iniquissimi Ariani ingressum concitata, non nisi prope finem anni 372. Romam venerat. ^{Ratio 2.} Altera, quod tertia legatio Basilii ad Damasum, hæresim Apollinaristarum damnari petens, anno Christi 372. contigerit, quodve ante hæc tempora, non tantum Basilii & Gregorius Nazianzenus, sed etiam Damasus, atque Hieronymus Apollinarem hæreseos auctorem, virum pium atque eruditum existimauerint, cumque eo vsque ad præsens tempus literarum consuetudine communicarint. Postquam vero pontifex per epistolam Basilii 74. quam legatio tertia Romam attulerat, Apollinaris hæresim cognouisset, probabile est, hoc anno statim sine mora aduersum eum Synodum coegisse, cumque cum suæ hæreseos sectatoribus condemnasse & excommunicasse, ne habita cum hæresiarcha per literas communio, pontificem in suspicionem mutæ societatis cum Apollinari induceret. Vide Baron. anno prædicto num. 1.

^c *In quo Apollinaristarum hæresis.*] Apollinarista siue Apollinariani dicebantur sectatores errorum illorum, quos Apollinaris hæresiarcha docuerat: inter quos primarius ille fuit, quod Christi corpus anima rationali careret, & pro anima deitatem haberet. Sozomen. libro sexto, capite 25. & Socrates libro secundo, capite 36. scribunt, quod Apollinæ duo, Laodiceæ humanitatis studia profitentes, ab Athanasio Alexandriam ab exilio tendente conuenti fuerint, cumque illo de rebus fidei communicauerint: addit hanc ob rem ad episcopum illius loci Arianum delatos, anathematis sententiam retulisse, atque in odium Gregorii eius loci Aiani episcopi prædictam hæresim excogitasse. verum Epiphan. hæres. 76. scribit, prædicto tempore ambos Apollinæ magna cum laude in ecclesia vixisse, & in medio nationis prauæ, confessione Nicænae fidei,

^{Apollinariani qui.}

tamquam ardentes lucernas in loco caliginoso, cui princeps tenebrarum dominabatur, eluxisse, Athanasio ac ceteris catholicæ fidei defensoribus addictissimos fuisse; adeo ut cum de huiusmodi hæreticæ eorum sententia per ipsorum discipulos postea rumor increbuisse, apud orthodoxos eorundem studiosos fidem non inueniret. *Primum quidem, cum audissemus, inquit Epiphanius a quibusdam ipsius discipulis, fidem non habebamus, quod talis vir (nempe iunior Apollinaris) hanc sententiam inuexisset, amplius in expectatione rei longanimis, donec rei certitudinem cognosceremus. Dicebamus enim eos, qui ad nos ab ipso venerant, non intelligere profunditatem eorum, quæ a tam prudente doctore dicerentur, & a seipsis hæc eos dicere, quæ ab ipso non didicissent.* Ab Ariana igitur hæresi quidem antea abhorruit, sed postea in præceps lapsus, eidem se quadam affinitate coniunxit. Nam sic de ipso Gregorius Nazianz. epist. ad Cledonium prope finem: *Illud scire necesse est, Apollinarem, quamvis diuinitatis nomen Spiritui sancto dederit, vim tamen diuinitatis minime retinuisse.* Etenim ex magno, maiore & maximo, id est, ex Spiritu sancto, & Filio, & Patre, tamquam ex splendore, radio, & sole Trinitatem constituere (quod quidem in libris eius disertis verbis scriptum est,) diuinitatis scala est non in cælum subuehens, sed e cælo deiiciens. Idem Gregorius ad Nectarium scribens, tradit eundem Apollinarem impias plane & horrendas docuisse sententias hæc: carnem Christi de cælo allatam esse: atque adeo Mariam Dei genitricem non fuisse: Christum per virginem, tamquam per canalem decurrisse: Christum in sua diuinitate passum esse: ad quas condemnandas, decem ille anathematismos hæc contra eum constituit.

Hæresis Apollinaris.

Extat apud Greg. Naz. epist. i. ad Cledoniu.

Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra diuinitatem est.

Si quis Christum per Virginem tamquam per canalem decurrisse ac defluxisse, ac non in ea diuino modo, quia absque viri opera; humano, quia procreationis lege, formatum esse dixerit, in simili impietate versatur.

Si quis creatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse, pronuntiauerit, damnationi obnoxius est.

Si quis duos filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem unum eundemque induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ recte credentibus promissa est.

Si quis diuinitatem in eo velut in propheta per gratiam operatam fuisse, ac non secundum essentiam connexam fuisse atque connecti, dixerit, diuino afflatu careat, imo contrario impleatur.

Si quis cruci affixum non adoret, anathema sit, atque in eorum, qui Deum interemerunt, numerum adscribatur.

Si quis eum ex operibus perfectionem assecutum fuisse, aut post baptismum, vel resurrectionem a mortuis in Filium adoptatum fuisse dixerit, quemadmodum quos Græci deos adscriptitios inducunt, anathema sit. Neque enim id quod cæpit, aut progreditur, aut perficitur, Deus est: tamen si hæc de eo idcirco dicantur, quod paulatim hominibus innotuerit.

Si quis sanctam carnem nunc exutam & abiectam, diuinitatemque corpore

ANNO 373. corpore spoliatam esse, non autem cum assumpta parte & esse & venturam esse dixerit, presentia illius gloriam non cernat.

Si quis carnem e celo descendisse, & non hinc atque a nobis esse dixerit, anathema sit.

Si quis in hominem mente carentem speret, amens profecto est, nec dignus qui totus salute donetur.

Ex epistola illa Athanasii, quam aduersus errores Apollinaris scripsit ad Epictetum Corinthiorum episcopum, constat, eundem hæresiarcham asseruisse, carnem Christi de cælis descendentem Verbo coæqualem esse; Verbumque sic carnem factum, vt in ipsam carnem mutatum fuerit. Hos errores primus omnium Athanasius impugnans, non tantum prædictam epistolam, sed etiam egregios illos commentarios de Christi incarnatione, & salutari eiusdem aduentu editos conscripsit. S. Hieron. epist. 82. ad Ocea. eundem cum Tertullianistis de origine animarum sensisse, eas ex traduce generari, atque instar corporum ex corporibus, ex animabus animas pariter propagari. De eodem quoque Theod. lib. 4. hæret. fab. habet, quod non tantum diuinarum personarum proprietates, verumetiam ipsas personas instar Sabellij confuderit. Eundem ex antiquis ecclesiasticis canticis ex diuina scriptura acceptis, novos in ecclesiam a se editos psalmos, & diuersa genera canticorum introduxisse, atque multiplicitate librorum sibi gloriam comparare studuisse, testatur Gregorius Nazianzenus prædicta epistola i. ad Cledon. his verbis. *Quod si prolixi libri, & noua psalteria, Dauidique ex aduerso resonantia, & versuum lepos, pro tertio quodam testamento habentur, nos quoque psalmos elaborabimus & multa conscribemus ac modulabimur.* Hos libros teste Gregorio Nysseno serm. de S. Ephrem, apud feminam quamdam depositos, S. Ephrem per simulationem hæreseos acceptos, vt ex iis se contra aduersarios instrueret, glutine compactos reddidit: quos cum Apollinaris a femina postulatos, in iudicio publico & controuersia quadam legi mandasset, cernens, inquit Gregor. Nyss. *ita firmiter connexos, vt prorsus explicari nequirent, tanto rubore atque pudore suffusus est, animoque vsque adeo perturbatus, vt ex eo confessus abiens, quasi mentis atque consilii inops & exanimatus, in morbum lapsus sit; illamque ignominia notam ita egre & moleste tulit, vt parum admodum abfuerit, quin tum morte obiret.* De scriptis eiusdem vide Hieronymum de script. eccles. in Apollin. Baron. anno 349. num. 25. & 26. item 373. num. 15. & seqq. ad 28.

Apollinaris
nouas can-
tilenas in
ecclesiam
inuenit.

Apollinaris
a S. Ephre
pulcre il-
lufus.

PROFESSIO FIDEI, ET ANATHEMATISMI
ADVERSVS APOLLINARIS, ARII,
SABELLII, MACEDONII, EVNOMII
& Photini hærefes.

*Ex epistola quam scripsit Damasus Paulino episcopo
Antiocheno.*

Extat apud
Theodor.
alter. trans-
lationis lib.
5. cap. 11.

QVIA post Concilium Nicænum is error inoleuit, ut
quidam ore sacrilego auderent dicere, Spiritum san-
ctum factum esse per Filium,

Anathematizamus eos qui non tota libertate procla-
mant, eum cum Patre & Filio vnus potestatis esse atque
substantiæ.

Anathematizamus quoque eos, qui Sabellii sequuntur
errorem, eundem dicentes Patrem esse, quem & Filium.

Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pa-
ri impietate, licet sermone dissimili, Filium & Spiritum
sanctum asserunt esse creaturas.

Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe
venientes, non perfidiam mutauerunt, sed nomen.

Anathematizamus Photinum, qui Ebionis hæresim
instaurans, Dominum Iesum Christum tantum ex Ma-
ria virgine confitetur.

Anathematizamus eos, qui duos filios asserunt, vnum
ante sæcula, & alterum post assumptionem carnis, ex vir-
gine.

Anathematizamus eos, qui pro hominis anima ratio-
nali & intelligibili, dicunt Dei Verbum in humana carne
versatum, cum ipse filius sit Verbum Dei, & non pro ani-
ma rationali & intelligibili in suo corpore fuerit, sed no-
stram, id est, rationalem & intelligibilem sine peccato
animam susceperit, atque saluauerit.

Anathematizamus eos, qui Verbum Dei Filium exten-
sione aut collectione, & a Patre separatum, in substan-
tium, & finem habiturum esse contendunt.

Eos autem qui ab ecclesiis ad ecclesias migrauerint,
tamdiu a nostra communione alienos habemus, donec ad
eas redierint ciuitates, in quibus primitus sunt constitui.

ANNO
 CHRISTI
 373.

Quod si quis alius, alio transmigrante, in locum viuentis ordinatus est, tam diu vacet sacerdotii dignitate, qui suam deferuit ciuitatem, donec successor eius quiescat in Domino.

Si quis non dixerit, semper Patrem, semper Filium, semper Spiritum sanctum esse, anathema sit.

Si quis non dixerit, Filium natum de Patre, id est, de substantia diuina ipsius, anathema sit.

Si quis non dixerit, Deum verum filium Dei, sicut Deum verum patrem eius, & omnia posse, & omnia nosse, & patri æqualem, anathema sit.

Si quis dixerit, quod in carne constitutus filius Dei, cum esset in terra, in cælis cum Patre non erat, anathema sit.

Si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem sustinuit filius Dei Deus, & non caro cum anima, quam induerat in forma serui, quam sibi acceperat, sicut ait scriptura, anathema sit.

Si quis non dixerit, excruciatum carne Dei filium, & carne mortem gustasse, fuisseque primogenitum ex mortuis, quatenus vita est viuificus Deus, anathema sit.

Si quis non dixerit, quod in carne, quam assumpsit, sedet ad dexteram Patris, in qua venturus est iudicare viuos & mortuos, anathema sit. *Philip. 2.*

Si quis non dixerit, Spiritum sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut & Filium de diuina substantia, & Deum Dei Verbum, anathema sit.

Si quis non dixerit, omnia posse Spiritum sanctum, omnia nosse, & vbique esse, sicut Patrem & Filium, anathema sit.

Si quis dixerit Spiritum sanctum facturam, aut per Filium factum, anathema sit.

Si quis non dixerit, omnia per Filium postea incarnatum & Spiritum sanctum Patrem fecisse, id est, visibilia & inuisibilia, anathema sit.

Si quis non dixerit, Patris & Filii & Spiritus sancti vnam diuinitatem, potestatem, maiestatem, potentiam, vnam gloriam, dominationem, vnum regnum atque vnam voluntatem ac veritatem, anathema sit.

Concil. Tom. 3.

Qq ij

Si quis tres personas non dixerit veras Patris, & Filii, & Spiritus sancti, æquales, semper viuentes, omnia continentis visibilia & inuisibilia, omnipotentes, omnia iudicantes, omnia viuificantes, omnia facientes, omnia saluantes, anathema sit.

Si quis non dixerit, Spiritum sanctum adorandum ab omni creatura, sicut & Filium & Patrem, anathema sit.

Si quis de Patre & Filio bene senserit, de Spiritu autem sancto non recte habuerit, hæreticus est: quia omnes hæretici de Filio Dei & de Spiritu sancto male sentientes, in Iudæorum atque gentilium perfidia inueniuntur.

Quod si quis partiatur, Deum Patrem dicens, & Deum Filium eius, & Deum Spiritum sanctum, deos dici, & non Deum, propter vnam diuinitatem & potentiam, quam credimus esse & scimus Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Deum verum; subtrahens autem Filium & Spiritum sanctum, ita solum existimet Deum Patrem dici aut credi vnum Deum, anathema sit. Nomen enim deorum & angelis & sanctis omnibus a Deo est impositum & donatum. De Patre autem & Filio & Spiritu sancto, propter vnam & æqualem diuinitatem, non nomen deorum, sed Dei nobis ostenditur atque indicatur, vt credamus, quia in Patre, & Filio, & Spiritu sancto solum baptizamur, & non in archangelorum nominibus & angelorum, quomodo hæretici, aut Iudæi, aut etiam gentiles dementes. Hæc est ergo salus Christianorum, vt credentes Trinitati, id est, Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & in eam baptizati, veram solamque vnam diuinitatem, potentiam, maiestatem, & substantiam eiusdem sine dubio credamus.

NOTA.

Titulus falso appositus est.

* *Professio fidei.*] Titulus illius exemplaris, quod a Theodoro recitatur, falsus est: & nisi dicamus illum ab aliquo alio appositum esse, Theodoretus a fraude & dolo nequaquam excusari potest. Nam certum est hoc tempore Acholium sanctitate clarissimum, Thessalonicensem episcopatum gubernasse, eique Anysium longe post hæc tempora defunctum successisse. Quomodo itaque verum esse potest, quod prædicta inscriptio Theodoretum præ se fert, Paulinum eodem hoc tempore Thessalonicensem episcopum fuisse: Nomen Acholii Thessalonicensis episcopi in synodali epistola Constantinopolitani Concilii, quam idem Theodoretus refert, expressum inuenitur.

ANNO CHRISTI 373.
 Teste Sozom. lib. 7. cap. 4. Acholius Theodosium imperatorem, anno Christi 379. baptizauit. Cum itaque ante eum Thessalonica Ireminus, Aetius, & Alexander; post eundem Anysius, teste Ambrosio, eidem Thessalonicensi ecclesie præfuerit, Paulinus aliquis his temporibus eiusdem ecclesie episcopus fuisse non potest. Vnde satis probabile apparet, quod Theodoretus pro Antiocheno, Paulinum Thessalonicensem dolose collocauerit, ea nimirum de causa, ne ex hac Damasi epistola ad eum scripta, catholicæ ecclesie communioni coniunctus fuisse videretur. Vide Baronium anno 378. numero 42.

CONCILIVM VALENTINVM I. SVB DAMASO.

Statuta Synodi apud ecclesiam Valentinam, sub die iv. Idus Iulias, Gratiano Augusto III. & Equitio v. c. consulibus, anno Christi CCCLXXIV. æra 413. Gratiani eiusdem Augusti, & Damasi papæ VII.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|---|---|
| I. De digamis non ordinandis. | incesta lauatione polluerint. |
| II. De puellis Deo deuotis, si ad terrenas nuptias transferint. | IV. Si quis de se verum vel falsum crimen sub ordinatione professus fuerit. |
| III. De iis qui post acceptum baptismum sacrificiis se demonum, vel | |

SYNODICA AD VNIVERSOS EPISCOPOS GALLIARVM.

Dilectissimis fratribus per Gallias, & quinque prouincias constitutis episcopis, Fægadius, Eumerius, Florentius, Artemius, Amilianus, Britto, Iustus, Euodius, Rhodanius, Eortius, Chrestus, Concordius, Constantius, Paulus, Antherius, Felix, Neoterius, Nicetius, Urbanus, Simplicius, & Vincentius, episcopi in Domino salutem.

ANNO CHRISTI 374.
Transactis Valentie omnibus, & in Dei nomine in statu meliore compositis, quæ fuerant cœpta causa discidii, quorundam fuit fratrum utilis & religiosa suggestio, retractandum etiam de his, quæ nec recipere possumus ob ecclesie sanctitatem, nec tamen vsurpatæ consuetudinis causa damnare. Ita enim per omnes ecclesias